



CVRTII MARINELLI

AD LECTORES

VERITATIS COGNOSCENDÆ
CVPIDOS,

*De Occasione hunc scribendi Librum, et de
eius Divisione, et Ordine*

Præfatio.



MNES Seniores Medici, & potissimum illi, qui Græciam exornarunt, non solum totum suum studium, totamque suam diligentiam in præsijs adinueniendis ad Morbos debellandos collocarunt, (vt adapertè à me

demonstratum esse existimo in libro illo, qui inscribitur de Morbis nobiliores Animæ facultates obsidentibus) sed etiam, quod est Medici proprium munus, quocumque neglecto labore, animo sollicito, atque anxio legitimam rationem Pharmaca conficiendi, & parandi explorarunt, & vestigarunt, quam & posteritati litteris prodiderunt: in cuius

††

perfe.

Præfatio.

perfectam ego deueni cognitionem ; cum anno iam elapso quædam mihi occasio oblata fuerit non paucos legendi libros, et volumina, quæ de modo Medicamenta præparandi tractant. In quibus cum adinuenerim innumeros Medicos, & Pharmacopæos multa circa hanc artem sibi arrogasse, quæ tamen ab Antiquis, quibus in hac omnia debemus, adinuenta, & summo ordine instituta fuisse, decreui cupiditate illa accensus, qua iam inde ab ultimæ meæ adolescentiæ annis exarsi, de vera Methodo Pharmaca componendi, & parandi satis longam orationem ad eorum mentem suscipere, ne nomen, & fama tantorum Virorum, quod quidem impium, & iniquum esset, ab hominum recentiorum voluntate deprimatur, & deleatur. Nec præterea grauatus sum hoc subire onus : ut non pauci Seplasiarij cæca ignorantia detenti manifestò cognoscant omnia illa, quæ hanc artem complent, atque perficiunt à Medicis tam Græcis, quàm Arabibus, & maximè à Galeno profusè, ac diligenter narrata extitisse, hac tamen lege, ut in futurum audaciam illam dementissimam deponant, & linguam illam effrenem, & petulantem retardent, & compescant ; Hi enim sæpe, atque sæpe ore tamen indigno audent affirmare Galenum huius artis imperitissimum fuisse ; immo & Mesue, cuius vestigia sequi omnino profitentur, Confectiones, & mandata castigare, & corrigere sibi persuadent. Non ignoro tamen aliquos Pharmacopæos adinueniri ingenuos, studiosos, & Scriptorum

rum

Præfatio.

rum præcepta, & Medicorum placita exsequentes, qui propriam conditionem, & statum, vt debent, peroptimè cognoscunt: hi omni laude digni non solum à me, sed ab omnibus procul dubio reputantur, & mirum in modum probantur.

Inter Græcos, qui fundamenta huius artis iecerunt, si de his, qui ante Galenum Medicinam fecerunt, sermonem habeo, à me enumerantur Andromachus, Damocrates, Crito, Asclepiades, Archigenes, Hippocrates, Ruffus, Theophrastus, & Dioscorides: si de illis, qui post ipsam artem Medicam exercuerunt, Paulus, Aetius, & Actuarius. Inter Arabes primum locum me iudice tenent Aui-
cen. Rhafis, Haly, Albucasis, siue Buccasis, Abyn-
zoar, & Mesue, qui in præceptis instituendis præcipuè circa quædam Medicamenta ab Araba familia adinuenta, primus à me censetur, si veritas ingenuè proferenda venit: quibus accedit Cornelius Cellus natione Latinus. Sed antequam ad modum *Pharmaca præparandi descendam*, dilucidè omnibus demonstrabo, hanc artem ad Medicum, & non ad Pharmacopolam attinere.

Secatur totum hoc opus in duos libros. In primo quorum de delectu Simplicium generatim erit à me tractandum, necnon etiam de Decoctione, & Trituratione, quæ sunt duo maximè necessaria, quibus Simplicia exquisitè permiscetur, & in vnum coguntur, sicuti etiam silentio non sunt relinquenda Infusio, Maceratio, Nutritio, Ablutio, Adustio, & Combustio; quoniam his aliqua apta, & accom-

†† 2 modata

Præfatio.

modata redduntur aut solitariè desumpta, aut alijs commista ad morbos superandos affectus.

In secundo de Methodo componendi, & parandi Pharmaca speciatim, & particulatim agendum erit: et eodem tempore de nonnullis Simplicibus eligendis, & castigandis, ne aliquam noxam infirmis corporibus incurrant. Prius tamen notum faciemus vobis, ut iam diximus, hanc artem ad Medicos pertinere.

Medicamenta, seu Antidota ex varijs Simplicibus composita necessaria esse probatur, quorum parandi modus non ad Pharmacopœum, sed ad Medicum pertinet.

Tanta fuit venerandæ Antiquitatis cupiditas in depellendis noxis, quæ corpus humanum fatigant, & exercent, ut non contenta simplicibus Medicamentis, maximo studio, & labore multiformia composita pro morborum varietate, & conditione ægrotantium excogitauerit; valde enim difficile existit aliquod adinuenire simplex Medicamentum calidum, vel frigidum, quod omnino determinatæ alicui frigiditati aduersetur, atque repugnet. Quod peroptimè docuit nos Gal. lib. 1. de Comp. Medic. per genera, cap. 3. his verbis: *Sæpè cum corpus calefacere volumus aliquatenus, simplex nullum, quod præstare id queat, habemus, Medicamentum enim curans affectioni, cui adhibetur, proportionem mirum*

Medicamentorum Simplicium mixtionis variorum causa.

Prima.

Præfatio.

mirum respondere oportet. Ergo si dispositio sit frigida, quattuor numeris à caliditate recedens, curaturum ipsam Pharmacum totidem gradibus, mediocri, symmetrove calidius esse oportere omnibus est manifestum. Porro cum interim tale simplex nullum adsit, si duo habeamus, quorum hoc numeris quinque illud tribus calidius sit, ea si miscuerimus, medium efficiemus, quattuor numeris symmetron exuperans. At non solum ab hoc impulsu Veteres fuerunt, sed etiam à multis alijs causis. Non rarò enim ob affectuum inter se pugnantium ablationem multorum fit mistio, & unio; nam contraria auxilia desiderant, ut Repellendi, & Digerendi, vel Leniendi, & Adstringendi, quibus Galenus generibus Medicamenti vitur, immo & non rarò adstringentibus incidentia admiscet: & hanc præcipuam esse causam misionis decreuit Serap. lib. de Antid. cap. 2. Interdum ob necessitatem alicuius, quod sit tamquam vehiculum aliorum facultatem deferens: sicuti quando his, quæ renes refrigerare possunt, diuretica adhibemus, Galeni præceptum, quod decreuerunt Auic. lib. 5. Haly, & alij multi. Aliquando teste ipso Galeno, ut lib. 1. per genera, cap. 3. imperante tamen Hippocrate. Ob virium alicuius vehementiæ obtundendæ gratiam, vel insuauitatis mitigandæ, qui veratro Daucum, vel Sefeli, vel Cuminum, vel Anisum, vel aliud odoriferum admiscuit; demonstratum enim insuauitatem in potu, moramq. in ventriculo condimentum requirere. Præterea multis in locis reliquit scriptum, Mel ingrata gustui efficere quoquo modo minùs molesta. Interdum multa alijs

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

Sexta.

Præfatio.

- alijs addunt Scriptores, vt Robur partibus imbecillis præbeant; student enim interdum & alterare, & roborare, vel euacuare, & roborare. Addit iam dictis Auic. vnionem multorum etiam adinuentam fuisse, vt celerius, aut tardiùs quædam Simplicia suas operationes in apertum edant; Manna enim cum Rhabarbaro desumpta est in causa, vt Rhabarbarum citius agat, Myrobalani autem eius operationem retardât: sic & Agaricus Sali, aut Zingiberi, vel Oxymeliti commistus, citius ad proprium munus insurgit: retardant in Arteriâ Tragacanthum, & Gummi, vt sub lingua detentæ sensim liquecant, & in summam arteriam labantur.
- Septima. Quandoque multorû fit vnio, vt quædam horû corrigant, atque castigent impetum, & vehementiam purgantium effrenium. Est etiam in causa, vt multa in vnum confundantur narrante Serapione, aptitudo ad mouendi Medicamenta, & vtendi illis; nam Metallica quædam, aut Plantarum partes aliquæ læuigatæ minimè partibus adhærere possunt, nisi aliquem lentorem socium habeant. Has omnes causas diligentissimè recensuit Auer. lib. 5. Collig. c. 57. quæ concitarunt, & impulerunt grauiores Medicos ad Pharmaca ex multis conficienda, semper tamen proportionem quadam inter miscibilia seruata, vt ab ipsa resultaret, & emergeret essentia aliqua, atque natura teste Gal. lib. de Ther. ad Pisonem c. 10. varijs exornata facultatibus diuersis à singulis componentibus, à qua non rarò admirandæ scaturiunt operationes; Hanc naturam formam totius Medicamenti
- Octaua.
- Nona.

Præfatio.

camenti Recentiores appellant; etiam si ferè semper initium omnium operationum præcipuè ab aliquo Simplici, quod Basim dicunt, trahat, atque ducat. Rarò hæc omnia aliqua in Antidoto adinveniuntur, nisi dicamus in Electario Rosato à Mefue descripto, quod fortè inter purgantia Pharmaca primum locum tenet, reperiri horum maiorem partem. Euariat, & inalterat potissimùm proportionem illam, à qua forma totius emergit, parandi, & componendi modus, qui maximè in Trituratione, & Decoctione consistit. Non negarem tamen maximi etiam esse momenti & Ablutionem, & Aduersionem, & Macerationem, & Nutritionem in aptandis quibusdam Simplicibus, antequam alijs admisceantur. Attamen Attritus, & Decoctione sunt duo maximè necessaria ad vnionem Simplicium; per hæc enim integrantium Pharmacum omnes minimè partes sese tangunt, & eorum vires sibi mutuò impartiunt, & communicant; in quibus agendis si à Seplasiario aliquod erratum committatur, aut circa ordinem, aut modum Decoquendi, & Triturandi, symmetria illa qualitatum integra non seruetur: immo manca, & imperfecta euadit. At facillimè potest Pharmacopola in grauissimos errores labi; cum ignoret Simplicium naturam, & essentiam: debet enim sicuti scribitur 2. de comp. Med. per loca cap. 1. & 2. *Qui studet Pharmaca componere, prius perdiligenter vestigare Simplicium Qualitates, Naturam, & Substantiam*. Cuius autem est hæc cognoscere? fortè Seplasiarij? hoc ridiculum

Præfatio.

lum esse nemini obscurum arbitror. Erit igitur Medici perspicere, & intueri Naturam, Substantiam, & Qualitates Simplicium, & maximè illorum, in quibus qualitates inter se pugnantes reperiuntur: de quibus sermonem habuit Gal. lib. 1. de alimen. facult. cap. 1. sic: *Nonnulla inueniuntur, quæ facultatem, & substantiam habent contrariam, etiam si sensui simplicia appareant; etenim non Lens sola cocta, sed etiam & Brassica compositam ex pugnantibus facultatibus naturam sunt sortita; nam solidum aluum sistit, humor stimulat ad excretionem; unde bis cocta aluum sistit Brassica commesta.* Hanc qualitatum conditionem seruant & Myrobalani, quæ si parùm coquantur, aluum subducunt, at si diu, potius ipsam sistunt acerba qualitate dominante, ut nobis reliquit scriptum Mesue, absorpta illa, quæ in substantia eius tenuiori, & extima parte residet. Si igitur Medicus perfectè cognoscit Naturam, Substantiam, & Qualitates Simplicium: erit profectò eius munus decernere & instituere species Decoctionis, modum Decoquendi, et eius Terminum, et præterea Attritus, vel Triturationis varia genera: Ne longa, aut vehementi ebullitione aliquorum vires aboleantur, aut imbecillæ, et languentes eueniant, aut in contrariam qualitatem degenerent, aut effrenes fiant: Vel ne debili, et ignaua decoctione vires Simplicium foras non euocentur, aut tenella, si occasio postulabit, illa non fiant: et ideo Mes. in Can. reliquit scriptum: *Omnia Simplicia coctionem non sustinere equalem; quedam enim Valentem, quedam mediam, & quedam debilem, sicut nec Attritio-*

tritio-

Præfatio.

trititionem. Quæ euenire eodem loco patefacit ob substantiæ varietatem Simplicium, & eorum qualitates: Virtus enim facile resoluitur, vel quia imbecilla est, vel quia in superficie est posita, vel quia in subiecto raro, ipso docente; sicuti ægre dissipatur, si vigorosa, si in alto corporis posita sit, & si in subiecto denso, vel viscido existat: sicuti etiam inueniuntur aliqua substantia terrea donata, quæ quanto magis decoquuntur, & vehementi calore, aut celeri motu, & diu teruntur, eò magis eorum facultas excitatur, & in actum erumpit: si minus ignaua, & debilis manens parum auxiliij præbet ægrotantibus; ab imbecillo enim calore, aut motu facultas illa substantia terrestri residens foras non euocatur. Vt igitur omnes qualitates Simplicium secundum illum gradum, & proportionem ab inuentore Medicamenti optatam in ipso adinueniantur, modum varia illa Simplicia vniendi, siue hoc fiat Decoctione, siue Trituratione Medicus Pharmacopæis imperet, atque præscribat; ne vires aliquorum detrimentum patiantur; & maximè cum in vnum triturate, & creta vniuntur; & ne ordine interturba to forma totius contaminetur, & perueriatur.

Est autem Pharmacopolæ proprium munus omnia perfectè cognoscere Simplicia, è quibus vigorosa, & incontaminata seligere debet; ne ab vno tantum imperfecto tota compositio, vt consonum est rationi, vitietur; sicuti nos docuit Galen. in lib. de Theriaca ad Pisonem, & 1. de Antidotis. Præterea diligenti manu munditia exornatus, quotiescum-

†††

que

Præfatio.

que occasio illi data fuerit, procuret Mundare, Detergere, Comburare, Adurare, Abluere, Infundere, Nutrire, igni conuenienti, & aqua Decoquere: spumam auferre, per colum liquores, & decocta Trasfundere, vt depurata fiant, Terere, Leuigare, Trita cribro traicere, & in vnum varia Confundere, & accuratè Componere, quæ omnia Vasis accommodatis agere debet, atque seruare. Non audeat Medicamentorum Descriptiones à Medicis institutas castigare, corrigere, aut alterare, vt ille, qui ignorat varios fines ab ipsis mente conceptos: Mesue enim affirmat Myrobalanos debilem ferre coctionem, & paucam capite de Myrobalanis: attamen varijs in locis imperat ebulliendas esse per longum tempus: debet fortè fortuna Pharmacopæus ab instituto tali Præceptoris desistere? & Myrobalanos macerare, & debiliter ebullire? minimè; sed ad vnguem, vt dicitur, eius exequi mandata: Parum enim iubet ebulliendas, cum optat alui purgationem; at multum si potius sistere, & roborare, quàm ipsam mouere. Erunt igitur iam dicta opera, & partes optimi, & diligentis Pharmacopolæ: Sicuti enim non est Frena facientis celeres, atque magnanimos gubernare equos teste Arist. lib. 1. Ethic. c. 1. sed bene est illius, qui artem equitandi docet, cuius etiam est opus varia frenorum genera pro diuersitate equorum instituere, vt ille, qui eorum multiplices defectus, & naturas cognoscit: Frena autem facientis est onus ferrum tali figura, magnitudine, & pondere aptare, & efficere, qualis instituta fuit ab Equifone;

Præfatio.

sone; hic enim, vt dominus, imperat, & ille, vt seruus obtemperat, & obedit. Sic Pharmacopæi est opus decoquere, & terere, sed illis conditionibus, quæ à Medicis imperantur, & instituuntur: quæ omnia respicientes Seniores Medici non solum Pharmacorum descriptiones ante oculos illorum posuerunt; sed etiam modum ea parandi perfectissimè illis reliquerunt, inter quos Mesue refulsit, qui præcepta præparandi, & componendi Medicamina ita adaptè litteris mādauit, vt nullus remansit Recenrioribus dicendi locus; vt Pharmacopæis cognitū, & perspectum esset hæc omnia ad Medicos impetrantes attinere: attamen nonnullorum ita increuit arrogantia, & inualuit; vt non tantum artem medicamenta parandi sibi attribuant; sed vt etiam medeantur infirmis grauib; vexatis passionibus: & pro firmo, & rato habeant doctiori, & meliori modo accommodatis auxilijs vti, quam medici admodum versati; quod quantum sit à ratione alienum à vobis *Lectoribus consideretur, & iudicetur*; à me enim non est tempus conuicijs, & iustis reprehensionibus conterendum.



liber; hic enim, ut dominus imperat, & ille, ut ser-
uus obtemperat, & obediunt. Sic Pharmascopus est
opus deceptoris, & terrore, sed illis conditionibus;
quod Medicus perit, & infirmum perit, quod
ita respiciet, & Medicus non solum Phar-
mascopus, sed etiam deceptor, & infirmum perit.
In accoribus deceptoris, & infirmum perit.
tunt; sed etiam modum, & parat, & perfectum
illis rebus, & inter quos Medicus est, qui per
cepta preparat, & componit, & Medicus ita
adparat, & infirmum perit, & infirmum perit.
notas dicendi locis, & Pharmascopus cognit,
& perfectum, & infirmum perit, & infirmum perit.
tantes amittere, & infirmum perit, & infirmum perit.
argueris, & infirmum perit, & infirmum perit.
dicenda paranda, & infirmum perit, & infirmum perit.
deant, & infirmum perit, & infirmum perit.
pro firmo, & infirmum perit, & infirmum perit.
do accedunt, & infirmum perit, & infirmum perit.
dum vultis, & infirmum perit, & infirmum perit.
a vobis, & infirmum perit, & infirmum perit.
est, non est, & infirmum perit, & infirmum perit.
nonibus, & infirmum perit, & infirmum perit.

